

Philipp August Behrens

De Blepharophthalmia Glandulosa Scrophulosa : Dissertatio Inauguralis Ophthalmiatrico-Medica

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXXIX.


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1008962198>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU med. 1829

Behrens, Phil. Augustus







DE
**BLEPHAROPHTHALMIA
GLANDULOSA SCROPHULOSA.**

DISSERTATIO
INAUGURALIS OPTHALMIATRICO - MEDICA
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE LITERARIA ROSTOCHIENSI

UT
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

SCRIPSIT

PHIL. AUGUSTUS BEHRENS
FÜRSTENBERGENSIS.

ROSTOCHII
TYPIS ADLERIANIS.

MDCCCXXIX.

REPERTORIUM
CLASSICORUM SCIENTIFICORUM

DESCRIPTIO

REPERTORIUM SCIENTIFICORUM - MATH.

1810

CONSTITUTIO

REPERTORIUM SCIENTIFICORUM

REPERTORIUM SCIENTIFICORUM

REPERTORIUM SCIENTIFICORUM



REPERTORIUM SCIENTIFICORUM

REPERTORIUM SCIENTIFICORUM

REPERTORIUM SCIENTIFICORUM

REPERTORIUM SCIENTIFICORUM

V I R O

**ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO
EXPERIENTISSIMO**

CHRIST. GODOFR. REICH

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ATQUE
PROFESSORI IN UNIVERSITATE LITTERARUM
FRID. GUILIELM.**

**CRUCIS FERREAE ORDINIS ST. WLADIMIRI
LEGIONIS HONORAR. EQUITI**

**COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM
SODALI ETC. ETC.**

V I O

NEC MINUS

CHRIST - GOD OF THE WORLD

THESE THINGS BEING DONE
BY HIMSELF AND BY HIS
ANGELS AND BY HIS
SACRED SPIRIT AND BY
HIS HOLY CHURCH
AND BY HIS FAITHFUL
PEOPLE

V I R O

**ILLUSTRISSIMO EXPERIENTISSIMO
AMPLISSIMO**

JUST. FR. CAROL. HECKER

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ATQUE
PROFESSORI IN UNIVERSITATE LITTERARUM
FRID. GUILIELM.**

**SOCIETATIS MEDICAE BEROLIN. HAFNIENS. TIGURIN.
ET PHILADELPH. SOCIETATIS PHYSIOGRAPH. ET
MED. BEROLIN. DRESDENS. ET RHENANAE
BONONIENS. SOCIO**

**ACADEMIAE PONTANIAN. NAPOL. CORRESPONDENTI
SODALI etc.**

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROEMIUM.

Inter multa, quae genus humanum a prima infantia corripunt, mala, saepe totam per vitam magis vel minus levata permanent, vitamque misere finiunt, imprimis scrophulae earumque diversi eventus sunt maxime timendae et divulgatae. Ubicunque peritissimus quisque sese converterit, majorem hominum partem praecipue hoc morbo, sub formis diversissimis, in majore vel minore gradu, laborantem videbit. Medicus, pro humanitate sua, aliorum miseriis maxime animo commotus, hunc morbum, saepissime miserimum ei conspectum praebentem, contemplan, tristem profecto sensum reprimere non potest, ubi imperfecta ars salutaria scientiaque ante oculos ipsi versatur. Perito morbus hic omnino cognitus est, unde multarum diversarum morbi specierum, in quibus scrophulosis fundata est, omitto enumerationem. Atque de causis morbi et natura nihil aliud dicendum esse putavi, nisi quod celeberrimi jam dixerunt auctores. Sed

cum ego ipse unus e magno scrophulis laborantium numero a tenera aetate sim, et per medicinae studium consilium ceperim, id quod ipse per me morbo scrophularum secundo comperissem, ad dissertationis meae materiam eligendi, lectoribus parvis paginis blepharophthalmiae glandulosae scrophulosae historiam trado, maximamque navavi operam, ut originem, decursum, curam idoneam et noxiam, quam passus sum et observavi, summa cum diligentia ostenderem. Quamvis haec species, quam sum descripturus, non nova, sed ex temporibus antiquissimis cognita et saepe tractata sit, et igitur pauca nonnisi, ac fortasse nihil novi de ea dicere possim, tamen non indignum puto, quin denuo tractetur ex experientia propria, omissis compilationibus, atque id, quod prius a majoribus dictum et oblivioni traditum est, in memoriam revocetur, et regulae nonnullae practicae, multorum annorum experientia enitentes, quas medici saepe non observarunt, praescribantur.

MORBI HISTORIA.

Parentibus sanis rebusque secundis viventibus natus, omni fere morbo ad annum usque secundum vacuus eram. Hoc anno, maxima cura a parentibus nutrito vaccinae mihi insitae sunt. Hoc remedium prophylacticum, tunc temporis novum, saeculi nostri initio nondum ubique tali studio adhibebatur, quali nunc ex lege fit, et saepe in lymphae conservatione methodoque applicandi committebantur vitia, quibus omnino illa commutabatur, neque illam habere poterat vim tutoriam, ut organismo nihil noceret. Quamquam regularem habebant decursum variolae vaccinae, et a variolis me defendebant, tamen non ita innoxiae mihi quam aliis erant, cum scrophulosin advocarent, qua in posterum iisdem symptomatibus, quae post variolas observaban-

tur, et contra quae variolarum insitio commendabatur, eram expositus. Utrum in me dispositio scrophulosa, injuriis externis diligenter a me depulsis, an id, quod non crediderim, nutritione vitiosa, jam sita fuerit, cum insererentur variolae, ita ut lympa ad scrophulas provocandas esset incitamentum, an sola materies decompositionis causa fuerit, decernere non audeo, attamen ultimam probabiliorem putaverim opinionem, cum usque ad variolarum insitionem omnino sanus paulo post a blepharophthalmia fuissem correptus, cujus symptomata atque decursus scrophulosum prae se ferebant typum.

Oculorum malum ab ortu primo per medicum curatum est, qui, opinionem, quae tunc de hujus morbi natura erat, secutus, oculos aqua frigida diligenter lavari jussit, et methodum derivantem per vesicatoria pluribus corporis locis applicata ita instituit, ut révera cutem me deposuisse dici potuerit. Huic miserae curandi methodo externae, ratione causae primariae non habita, et omni cura interna neglecta, quare nunc incipiens morbus maxime effloruit, omnem illam miseriam, quam per vitam totam sum per-

peesus et adhuc perpeti debes, attribuerim, methodus enim alterans derivans dyscrasiae magis magisque devulgantis fuit causa. Magna corporis irritabilitas et incitabilitas nunc apparuit, quae adhuc magno augebatur calore, colli glandulae labiumque superius tumescebant, magna in capite et nucha se ostendebant exanthemata, etiamque multa alia scrophularum symptomata, quae accuratius describere nequeo. Morbus oculorum topicus magis accrescebat curandi methodo, photophobia tanta erat, ut coelo sereno tenebras relinquere non possem, glandulae Meibomianae valde laborabant, quarum secretionem palpebrae obtinebantur, cilia sensim sensimque excidebant, conjunctiva semper irritabatur, margo ciliaris evanescebat, margo tarsalis conglobabatur et tumescebat, interdum in cornea, conjunctiva valde inflammata, maculae parvae oriebantur, quibus videndi facultas paululum minuebatur, sed inflammatione remota maculae evanescebant. Hoc oculorum morbo affectus ad annum vitae decimum perveni, sempiterna medici cura adhibita, quae quidem valde me debilitabat. Iterum faciei exanthema erupit, laxantibus vero et reme-

diis externis mox remotum. Ex hoc tempore, quo saepe sub coelo versabar et diligenter lavabar, magnopere oculorum malum minuebatur, photophobia et status inflammatorius fere omnino evanescebant, videndi facultas plane restituebatur, ita ut praeter cilia amissa, quae glandularum Meibomianarum inflammatione partim per se exciderant, partim propter irritamentum, quod Meibomiani sebi exsiccatione ortum erat meque ad fricandum et scabendum cogebat, evellebantur, oculis sanis gavisus sum.

Hic valetudinis meae ancipitis status usque ad annum decimum quintum duravit, ubi tertio capitis exanthemata apparebant, quae medici consilio oleo lini oblita brevi tempore exsiccabant. Sic ad finem perducta est curatio, et, ratione corporis mei status universalis non habita, cura interna omnino neglecta est. — Hanc tertiam eruptionem ultimum naturae molimen fuisse verisimile est, dyscrasiam scrophulosam excernendi, et pubertate humoribus meliorem praebendi mixtionem, haec enim eruptio ultima fuit. Mea quidem opinione hocce tempus idoneae curandi methodo, remediis specificis adhi-

bendis, aptissimum fuit, ut haec dyscrasia in perpetuum removeretur aut saltem magnopere diminueretur, quo facto miseras innumerabiles, quae paulo post perpessus sum, effugissem. Naturae vi medicatrice scrophulosas ejusmodi dyscrasias admodum minui, malaque topica, non adhibita arte, saepe omnino evanescere, aptave methodo prorsus depelli, multa exempla afferre potuissem, quae vero, unicuique nota medico, omitto. Quo igitur praeterlapso gravi temporis momento, paulo post catarrhali oculorum inflammatione, affectus sum, quae frequentes imprimis pedum refrigerationes, quibus in conclavi lapidibus consito eram expositus, sequebatur. Quae affectio inflammatoria initio variis medicis vario modo tractabatur, nunc calidis nunc frigidis remediis, modo unguentis modo collyriis utebantur, qua autem re inflammatio semper augebatur, et typus scrophulosus vehementer apparebat. Usque ad hoc tempus oculus dexter magis sinistro, quo satis accurate videre poteram, inflammatus fuit; nunc autem et hic consensu affectus nonnullis diebus ad eundem vehementiae inflammationis gradum pervenit. Musculorum vi

oculos aperire non potui, sed digitis ad hoc efficiendum uti debui, et tollenti mihi palpebram superiorem lacrymarum multitudo erupit. Videndi facultas ita diminuta fuit, ut nullam rem accurate cognoscere possem, sed omnia tanquam nebula velata et tantum modo maxima cum opera micantia viderem. Doloribus peculiaribus non laboravi, sed sensu quodam premente in oculorum integumentis externis. Oculis tantopere inflammatis et photophobia valde aucta, sedecim annorum juvenis, laboribus studiisque assuetus, etiamsi non prorsus coecus sed oculorum jacturae quam proximus, anxius et sine solamine vitam degi. Hoc tempore Professor *Hecker* consulebatur, qui omnia accurate perscrutatus corneae inflammationem reperit statimque methodum praecipue derivantem adhibuit, ratione habita corporis mei status universalis. Praeter laxantia et vesicatoria pone aures saepe repetita, ut magna fieret suppuratio, cantherium potentiale e lapide infernali, syncipiti capillis privato, in suturae coronalis regione, pisi magnitudine appositum est. Hac methodo, cum oculi magno in periculo essent, celere inflammationis

optatum decrementum non advenit, igitur cauterium in quatuor grossorum nummi magnitudinem extensum est, quod, postquam vehementissimos per tres aut quatuor horas perpessus sum dolores, inflammationis levationem effecit. Verbis exprimere non possum gaudium, quo afficiebar, cum oculos quatuordecim dies clausos vi musculorum aperire et candelam ardentem, quae mihi orbis magnus esse videbatur, videre possem. Hoc forti cauterio propinqua liberatus sum coecitate. Et gratias et reverentiam ei, cujus assidua cura sensus nobilissimi conservatione gaudeo, in aeternum agam atque conservabo. Crusta detrusa et ulcere in magnam deducto suppurationem, sicuti vesicatoriis pone aures adhibitis, conjuncta interna antiphlogistica et antiscrophulosa cura et regimine accommodato, inflammatio mox remota est, quacum periculum evanuit. Photophobia die quolibet decrevit, ita ut praeterlapsis diebus octo, auxilio oculis non adhibito, in conclavi possem ambulare. Vehemens inflammatio magnam corneae oculi utriusque adumbrationem reliquerat, quae diu me impediēbat, quominus res tenuiores praecepue lit-

teras cognoscerem, sed et haec, adhibitis remediis, feliciter remota est, et oculi priorem videndi facultatem perfectam adepti sunt. Incepta interna et externa cura longius per tempus continuabatur, qua corporis mei status, nempe diathesis scrophulosa, longo melior factus est.

Ver appropinquans, semper noxiam in me exserens vim, sicut aestas, ubi bene semper valebam, sine exacerbatione praeterierunt. Cum autem autumnus, tempestate humida et frigida, cujus semper eram expositus obnoxiiis viribus, comitatus, breve per tempus durasset, oculi jam magnum ad inflammationem receptivitatis nacti gradum, magnopere affecti sunt. Sed nunc quoque periculum a medico jam memorato et celeriter advocato remotum est. Cauterium capiti apponi non necesse erat, sed vesicatoria remediaque interna sufficiebant. Hac vice aliquid inflammationis in cornea relictum erat, quod vero non tanti fuit momenti et iisdem removebatur remediis. Praeteriit annus, quo, exceptis parvis nonnullis exacerbationibus, oculorum morbo non laboravi. In universum tempestas varia

semper maximam in oculos meos vim habuit, ita ut per eos tanquam in barometro atmosphaerae levitatem et gravitatem possem cognoscere. Coelo sereno valetudo mea melior est quam turbido, humoribus multis repleto aëre, nec minus celeriter, quam aëris conditiones mutantur, hanc mutationem in oculis sentio. Saepissime compertum me habeo, me vespere tempestate turbida, una cum pluribus injucundis sensibus, e. g. pruritu, gravitate in oculis, magna sensibilitate erga candelam ardentem etc. cubitum iisse, matutino autem tempore surgentem, tempestate per noctem meliore facta, me nihil horum animadvertisse, sed dulcem quendam intrasse sensum. Coeli qualitas in vehementissimo inflammationis gradu, semper maximam habuit vim, et fortasse haec vis magis sese praestitit in meo oculorum morbo, quam in aliis morbis fieri solet. Quo factum est, ut mala tempestate saepissime intrarent exacerbationes, aut si hoc non fuit, minime oculorum status tam diu immutatus maneret quam tempestas ejusdem fuit qualitatis. Corporis constitutio, omnibus scrophulosis vel magis vel minus propria, conjuncta cum tenui,

erga tempestatis vires cute sensibili, qua et ego damno perpeti debui, praecipue idonea est, ut humida frigidaque tempestas majorem in talibus hominibus efficiat reactionem, et hac re in morbum praesentem majorem vim habere possit, quam in aliis, cute obscura et fibra musculari stricta praeditis fieri solet. Accurata harum aëris virium observatio, ratione partium infestae tempestati expositarum habita, medico, qui successu felici talem aegrotum curam studet, maximi momenti est, nam affectione catarrhali celeriter remota aeger mox a malis suis liberatur, contra vero morbus valde augetur, et medicus aegroti fidem amittit. Ut iterum ad hanc rem redeam, morbi decursum continuabo.

Anno tertio eodem tempore iisdemque conditionibus oculi rursus inflammati sunt, sed inflammatio non talem gradum nacta est, photophobia enim exigua et oculorum adumbratio tam parva fuit, ut in via solus incedere possem. Medici pristini curae me tradere non potui, sed in nosodochium ire debui, quo oculi mei a cura, admodum a pristina discedente, suscepti sunt. Praeter internam antiscrophulosam curam

et etiam instillationes in cornea ad maculas removendas collocatae sunt:

℞ Olei Vitrioli gtt. iij

Aq. destillat. ℥j

M.

Etiam Mercurius praecipitatus ruber hoc modo adhibitus est:

℞ Axungiae porci ℥ij

Merc. praecip. rubr. gr.vj.

Aceti Saturn.

Tinct. opii crocat. aa ℥℥

M. f. unguentum.

Quam curam oculi hucusque nondum acceperant, igitur unguentum Mercurii, quod multitudinis hydrargyri causa die quolibet adhibere non potui, cum oculos nimis irritaret. Parvae corneae adumbrationes, quibus praecipue laborabam, mox evanuerunt, ita ut tribus praeterlapsis hebdomadibus clinicum relinquere possem. Nunc in pristinam conditionem, qua tempestatis viribus, quibus semper expositus eram, sine dubio oculi saepius fuissent inflammati, non redii, sed haec tertia oculorum inflammatio vehemens etiam ultima, cum inflammatio nunquam talem

vehementiae gradum sit assecuta, ex quo conditio mea in meliorem versa est. Cum vero nunquam omnino infestas tempestatis vires effugere potuissem, factum est, ut nonnunquam magis vel minus oculis, omnibus et internis et externis incitamentis sensibilissimis laborarem. His levibus accessionibus correptus confugi ad medicum, qui, secundum morbi naturam, remediis antiscrophulosis, praecipue unguento ex hydrargyro praecipitato rubro, aceto saturnino, tinctura opii me uti jussit. Breve per tempus remedia haec levamen mihi praebuerant, sed usu longiore palpebrae, quae praecipue aegrotabant, in hoc remedium insensibiles factae inflammatae sunt, imprimis palpebrarum conjunctiva tumuit, photophobia accrevit, quo hoc remedium negligere coactus sum. Cum unguento non uterer, oculorum status inflammatorius melior factus est. In proxima exacerbatione alius medici auxilium petii, qui, malum ut vehemens inveteratum putans, se nihil melius facere posse credebat, quam hydrargyrum praecipitatum rubrum in majore dosi adhibere, igitur praescripsit:

℞ Hydrarg. praec. rubr. gr.viii.

Zinc. sulphuric. gr.vj.

Opii puri gr.iv.

Ungt. rosat. ℥ij.

Cerae albae gr.x.

M. exactissime.

Sed hoc quoque remedium idem quod primum effecit in initio oculi meliores facti sunt, sed paulo post exacerbatio accessit. Tum Mercurius adhuc majori mihi praescriptus est dosi:

℞ Hydrarg. praec. rubr. gr.x.

Zinc. sulphuric. gr.viii.

Opii puri gr.vj.

Ungt. rosat. ℥ij.

Cerae alb. gr.x.

M.

Quod remedium idem effecit, ita ut desperans fere a malo tandem liberari, ad alium medicum me conferrem, qui omne auxilium a methodo derivante consequi se posse et quamque methodum rejiciendam credebat. Quamquam solum malo topico laboravi, et corporis status nulla magnae affectionis symptomata praebuit, tamen emplastrum pone aures praescriptum est:

℞ Tart. stibiat. ℥ij.

Empl. citrini ℥ij.

M. f. l. a. emplastrum.

Emplastrum postquam octo per dies sine minimo effectu pone aures situm fuerat, pustulas quasdam procreavit, maximosque mihi dolores effecit, ita ut minimum adeo negotium agere non valerem et remedium negligere cogerer.

Tantis frustra adhibitis curis ad primum me contuli medicum. Recte corporis statum morbumque topicum cognovit et miti solummodo topica utens cura, ratione receptivitatis affectionum catarrhalium habita, plane me restituit. Cura in me ipsum conversa mox animadverti, quam necessaria mihi esset omnis refrigerantium effectuum evitatio, nam simulatque pedibus perfrixeram, aut tempestati frigidae humidaeque me exposueram, semper a catarrhali membranae Schneiderianae affectus sum inflammatione, qua in casibus plurimis palpebrae conjunctiva et cornea afficiebantur, vehementissime inflammabantur, et leves corneae maculas relinquebant. Collyria vel mitissima talibus accessionibus adhiberi non potuerunt, cum in-

flammationem augerent, et solummodo affectione catarrhali, pedum balneis e sinapi paratis et moderati aëris commoratione, repulsa, fieri potuit, ut finis poneretur inflammationi. Corneae adumbrationes, inflammationis reliquiae, nunquam medici auxilium requisiverunt sed per se evanuerunt. Etiam saepe corneae irritamento per pseudocilia advocato, leves maculae efficiebantur, quae, simulac causa, id est pseudocilia, remota erat, evanuerunt; quo prius affectioni catarrhali remediis occurrere potui, eo mitior inflammatoria oculorum affectio fuit. Specialis earum partium ratio, quae potissimum tempestati expositae erant, necessaria mihi visa est ad damna, quae mox sequebantur, removenda. Si corporis pars superior leviori vestimento atmosphaerae injuriis exposita erat, methodo miti diaphoretica tutissime ejus detrimenta removi; si pedes frigori erant expositi, balnea pedum derivantia maxime valuerunt. Experimenta, quibus adversus variae tempestatis vim indurare me volui, dum saepe de industria ei me exposui, semper frustranea fuerunt, nam affectionibus oculorum inflammatoriis correptus sum, ita ut medici

consilio, semper laneis me detegendi vestimentis, summa pro me utilitate obtemperarem, quo a perfrictionibus, unde ortum est malum, optime me defendebam. Eo tempore, quo pedes laneis tibialibus calefaciebam, et pectus brachiaque tunica muniebam lanea, a multis molestiis catarrhalibus et oculorum inflammationibus ejusdem typi rarius correptus sum. Ad dispositionem catarrhalem levandam vel saltem minuendam aquae marinae, auctore praeceptore meo professore *Hecker*, remedium est efficacissimum, sed aegri multos per annos iis utantur necesse est.

Cum medici pristini magnam in externas vires receptivitatem, ad quam omnis scrophulosus majorem vel minorem dispositionem habet, non satis observarent, maximo damno mihi fuit, cum malum solum scrophulosum respicerent, affectionemque catarrhalem negligerent, quo factum est, ut collyria; quae plerumque ex remediis irritantibus, e. g. ex hydrargyro muratico corrosivo, tinctura opii, aqua laurocerasi, lapide infernali, aceto saturnino etc. consistebant, non proferri possent, sed semper inflam-

mationem auferent. Eundem habuere effectum unguenta a magna hydrargyri praecipitati rubri et zinci oxydati quantitate consistentia, quibus saepe palpebrarum excoriationses ortae sunt, et ita malum maxime auctum est. Jam a me dictum repeto, quemque scrophulosum corporis sui constitutione magis alio esse sensibiliorem in tempestatem ejusque vim in nasi et organi respirationis membranas, et omni medico, qui successu felici talem aegrotum, fortasse eundem morbum curare vult, cordi esse velim, semper aegroti ad affectiones catarrhales dispositionem respicere, hisque, quantum potest, resistere. His casibus caveas, ne collyria adhibeas, cum typus catarrhalis humorem nunquam perferat, et minime acria remedia caustica, quibus inflammatio semper valde augetur, et quae modo tunc bene possunt adhiberi, si affectio catarrhalis remota est. Etiam peior est usus hydrargyri praecipitati rubri, a nonnullis optimum contra hunc morbum remedium habiti et celebrati, quo, si adest typus catarrhalis, conjunctiva vehementer irritatur et usus inter-

mittendus est. Neque minora damna hujus unguenti usus habet, si, remota affectione catarhali, continuo et dosibus maximis adhibeatur. Mox oculorum inflammatio augetur, conjunctiva valde irritatur, palpebrae tumescunt, singula marginum loca excoriantur, aegrotus medici fidem amittit, et tantummodo, unguentum negligendo, mali levationem accipit. Quanta gloria Mercurii praecip. rubri usus, his in morbis a medicis oculariis adhibitus sit et remedium specificum celebretur, tamen multorum annorum in me ipso experientia et in aliis observatione persuasus, non tam aequae de hujus unguenti usu judicare possum. Cum multos per annos ejus bona et damna, prout majori minorive adhibetur dosi, ipse expertus essem, ei bonum effectum abjudicare nequeo, sed tantummodo, si in parva dosi adhibeatur, e. g.:

℞ Mercur. praecip. rubr.

Flor. Zinc. \overline{aa} gr.ij.

Axungiae porci \overline{z} ij.

M. exactissime.

Hac mihi formula bonos effectus comperi, sed

aliquamdiu intermitti debuit unguentum, ut palpebrae remoto irritamento denuo sensibiles fierent, sicuti medicamentorum mutatio in his morbis saluberrima et maxime necessaria. Si mercurius praecip. ruber maximis dosibus, quibus partes nimis irritantur et debilitantur adhibetur, sequitur, ut aeger a malis suis non liberetur, et longiore aut breviori tempore a medico rursus petat auxilium, a quo iudicium audire debet, malum esse insanabile.

Huic iudicio, esse insanabilem hunc morbum, nonnulla dubia cum modestia oppono. Occurrerunt enim mihi homines eundem oculorum morbum eundemque perpassi decursum, qui in evolutionis periodo criticis exanthematibus, cura idonea, plane sanati sunt. Confiteor quidem, si jam integumentorum internorum destructiones, e. g. marginis ciliaris cum ciliis jactura, aut partium internarum deformitates inflammationibus provocatae, ortae sint, artem in his casibus nihil aut paululum valere, sed typum pertinacem chronicum in gradu leniori sensim sensimque minuere et denique plane remove,

et partes aegrotas ad certum sanationis gradum adducere posse. Ubi deformitates tales nondum ortae sunt, oculos paulatim ad normalem statum sanum reduci posse credo, id quod in multis observavi hominibus.

Majore cum utilitate Zincum, auctore medico maxime reverendo, adhibui, et Zincum oxydatum et sulphuricum multos per annos optimum mihi praebuit successum, praecipue si affectio catarrhalis fuerat remota. Zincum vel in solutione vel in unguento praescribere potes, e. g.

℞ Zinc. sulph. gr.ij.
solv. in
aq. destillat. ℥ij.
Mucilag. semin. cydonior ℥℞.

M.

℞ Flor. Zinc. gr. x—xv.
Ungt. rosat. sine
oleo aether. parat. ℥℞—℥vj.

M. exactissime.

Sed maxime idonea est medicaminum mutatio; cum usu continuo remedii ejusdem formulae reactio denique diminuatur et torpiditas quaedam appareat. Itaque saepe remediorum formas mu-

tavi, mox solutione mox unguento Zinci usum, et reperi, unguentum, quamdiu recens esset, melius se praestitisse, quod in typo chronico vel in consuetudine fortasse situm esse potest. Zinci miti adstringente et exsiccante vi semper rem factam esse meliorem observavi, palpebrarum tumescentia decrevit, conjunctiva pallidior facta est, leves corneae maculae evanuerunt, oculi magnam in lucem et aërem sensibilitatem abjecerunt, ita ut lacrymarum fluxus plane decederet; denique oculi hoc remedio ad talem sanationis gradum pervenerunt, qualem nullum aliud remedium efficere potuit, qua re multos annos solum adhibui. Fere eandem habet vim cuprum aluminatum, si hoc modo utaris:

℞ Cupr. aluminat. gr. ij.

Aquae Rosar. ℥iſſ.

Mucilag. semin. ℥iſſ.

Cydonior. ℥iſſ.


M.


Tamen animadvertisse me credo, cupri usu continuo corneae inflammationem auctam esse, quod Zincum non efficit.

Cum in scrophulis humorum qualitas maximi momenti sit, et medico, morbo mederi, non contingat, nisi medicamenta diaeta accommodata adjuvantur, cibum potionemque multum ad meum, tantummodo topicum malum valere comperit habeo. Ejusmodi cibus, qui suppurationem efficiunt, e. g. carne suilla, anserina, anatina, captis, jam horas viginti quatuor sensi exacerbationem. Magis potionibus spirituosis, e. g., vino adusto, spiritu oryzae etc. sumptis inflammatio augebatur, sed nunquam vinum morbo infestum reperi, sed vino roborati oculi videbantur. Eandem vim noxiam cibi salsi, acidi et leguminosi, e. g. pisa, fabae, lentes, habuerunt. Mala corporis nutritio cibus, qui bene assimilari non possunt, vel panis usu solo, malum topicum ad magnum gradum adduxit, quod saepe bonis nutrimentis, corpori mites humores sanosque adducentibus, securius minuitur quam remediis externis, quae in hac corporis decompositione omnino fere inefficacia sunt. Maxima igitur ciborum potionumque ratio necessaria est, cum magnam habeant vim in aegroti valetudinem, et

eos cibos, quos diaeta alba praescribit, in hujus
typi morbis aptissimos puto. Non magis ad
scrophulas universales removendas diaetae cura
requiritur quam ad topicos ejusdem typi morbos
minuendos, etiamsi diathesis scrophulosa plane
remota et malum solummodo topicum sit. Quo
tempore medicinae doctrinae malum meum
cognovi, maxima cum sedulitate omnes et nutri-
mentorum et aëris vires noxias a me removi,
et persuasum habeo, strenuum regimen diaete-
ticum ad morbi curam maxime valere, cum
oculi mei fere maximum sanationis gradum, ad
quem pervenire possunt, assecuti sint, et raris-
sime remediis externis usus sim.

eos cibos, quos dicitur esse prescribit, in hunc
 hunc modum: panis, aqua, vinum, oleum, et
 saporibus mixta, sicut remanent dicitur esse
 repurgatam quam ad legitimum cibum esse
 manducandos: cibum dicitur esse saporibus plane
 remota et nihil solummodo legitimum esse. Quo
 remota, manducare dicitur nihil magis
 cognoscere manducare non debent esse et hinc
 manducare de rebus vitis hinc a quo remota
 et permissa habet, spiritum regnum dicitur
 hinc ad mare, eorum manducare vitis, cum
 oculis, nec fore manducare sanctorum gradum, ad
 quos hinc remanent, sicut dicitur, et hinc
 sine remanentibus dicitur esse.









semper maximam in oculos meos vim habuit, ita ut per eos tanquam in barometro atmosphaerae levitatem et gravitatem possem cognoscere. Coelo sereno valetudo mea melior est quam turbido, humoribus multis repleto aëre, nec minus celeriter, quam aëris conditiones mutantur, hanc mutationem in oculis sentio. Saepissime compertum me habeo, me vespere tempestate turbida, una cum pluribus injucundis sensibus, e. g. pruritu, gravitate in oculis, magna sensibilitate erga candelam ardentem etc. cubitum iisse, matutino autem tempore surgentem, tempestate per noctem meliore facta, me nihil horum animadvertisse, sed dulcem quendam intrasse sensum. Coeli qualitas in vehementissimo inflammationis gradu, semper maximam habuit vim, et fortasse haec vis magis sese praestitit in meo oculorum morbo, quam in aliis morbis fieri solet. Quo factum est, ut mala tempestate saepissime intrarent exacerbationes, aut si hoc non fuit, minime oculorum status tam diu immutatus maneret quam tempestas ejusdem fuit qualitatis. Corporis constitutio, omnibus serophulosis vel magis vel minus propria, conjuncta cum tenui,

B

